

D E F U N C T I

P. Ioannes Nepom. Mayer (1881-1965)

(*Vice-Prov. de Karlsbad*)

P. Ioannes Mayer in pago Bohemiae parentibus pietate conspicuis natus est. Unus fratum Ordinem Praemonstratensium ingressus est, alterius fratris filius Congregationem nostram. Amita et fratris filia erant religiosae.

Ioannes quartum annum iuvenatus Katzelsdorf ingressus est. Novitiatum in Eggenburg, Studentatum in Mautern peregit. Anno 1907 sacerdotio auctus, per quattuor annos in Iuvenatu Katzelsdorf lectoris munere functus, anno 1912 Director Iuvenatus Budweis nominatus est.

Anno 1921 magnum vitae opus ei commissum est: extuctio Vice-Provinciae Zvittaviensis seu de Karlsbad.

Domus germanicae Congregationis in Bohemia et Moravia sitae (Budweis, Grulich, Philippsdorf et Zwittau), etiam post erectionem Provinciae Pragensis (1901), ad Provinciam Austriacam pertinebant. Sed monarchia austro-hungarica post primum universale bellum dilapsa, ac fundata re publica cecoslovacha, domus germanicae, insidente gubernio civili pragensi, a Provincia Austriaca disgregatae sunt. Domus Budweis Provinciae Pragensi adnexa est, reliquae tres domus adunatae sunt in Vice-Provinciam Rectori Maiori immediate commissam. Primus Superior Vice-Provinciae nominatus est P. Ioannes Mayer, cuius sedes primo fuit domus Zwittau (inde « Vice-Provincia Zvittaviensis »).

Arduum assumpserat opus P. Mayer. Cum domus Iuvenatus Budweis Provinciae Pragensi adiundicata esset, pro iuvenistis linguae germanicae novus Iuvenatus fundandus erat. Sic orta est domus Sanctae Annae prope oppidum Plan. Certe gavisa est Sancta Mater Anna de domo religiosa iuxta eius antiquam peregrinationis ecclesiam exorta.

Anno 1924 successit fundatio domus Maria Schnee (S. Mariae ad Nives), in Silva bohemica, prope Prachatitz, ubi natus est Beatus Episcopus Neumann. Anno 1927 erecta est domus Karlsbad (Thermae Carolinae), quo, post aliquot annos, gubernium Vice-Provinciae translatum est, quae inde « de Karlsbad »

inscripta est. Interim etiam in ipso loco nativitatis sancti Clementis domus fundari potuit.

Ita Vice-Provincia, cum P. Mayer, anno 1933 a munere cessaret, septem domos ac circiter 60 Patres, 25 Fratres et 20 Studentes numerabat. In domo Philippsdorf proprius exsistebat Novitiatus. Clerici in Studentatu Mautern, Provinciae tunc vocatae Vindobonensis, studia peragebant.

Munus magnis molestiis oneratum, P. Mayer, qua Superior Vice-Provinciae baiulaverat. Innumeris conscriptis litteris, ac peractis negotiationibus apud gubernia ecclesiastica et civilia, saepissime spe deceptus est. Insuper P. Mayer per vitae annos debili laborabat valetudine, ita ut crebris itineribus valde cruciaretur. Superioris munere non qua dominator, sed qua pater functus, P. Mayer quovis tempore cuivis sodali vacabat, ad consilium promptus atque solamen. Pro viribus in animarum cura extraordinaria cooperabatur, in exercitiorum praeprimis ac conferentiarum opere versatus.

Nova Vice-Provincia optimam praebebat spem. Patres, in cura animarum extraordinaria inter 3.500.000 « Sudeto-Germanos » exercenda, primi erant, a locorum Ordinariis magni aestimati, quoquaversus ad opera apostolica vocati, a fidei inimicis odio habiti, ita ut, tempore nazismi, novem, inter quos et Superior Vice-Provincialis, in carcerem detruderentur.

Supervenit expulsio anni 1945. Vice-Provincia qua talis quidem, cum Superiore Vice-Provinciali duabusque Consultoribus, existere pergit, sed sodales in Provinciam Austriacam, Monacensem et Coloniensem dispersi sunt.

P. Mayer in domum austriacam Eggenburg emigravit; inde, qua cappellanus Monialium a Sanctissimo Redemptore, in monasterium Gars am Kamp (Austria), et una cum Monialibus in monasterium Rosenthal transmigravit. Usque ad ultimum morbum undique qua confessarius petebatur, etiam ab agricultoris regionis vicinae.

Aureum sacerdotii iubilaeum adhuc vegetus celebrare potuit. Sed tunc, pedetentim viribus exhaustus, die dominica, 16 maii 1965, cum sacelli campanula consecrationis eucharisticae signum daret, animam Deo reddidit.

Sit defunctus P. Mayer, ante thronum Dei, Vice-Provinciae suae dilaceratae intercessor!